

mundi, & omnia que possident, vt dicant: Portio mea Dominus. Gloria vero Domini manifestatur his, qui conueniunt vndique, id est per plana & ardua, quos nihil potest separare a charitate Christi. B E D A. Post factum etiam in ciuitate miraculum fecit Dominus in desertum, vt ostendat se magis quietam & a seculi curis remotam diligere vitam, atque ob huius appetitum sanandis curam adhibere corporibus.

CAP. I. I.

ED A: Quia nec carnales superna pietas deserit, quin etiam his gratiam suam visitationis, per quam & ipsi spirituales effici valeant indulget, post desertum Dominus redit in ciuitate. vnde dicitur: Et iterum intrauit Capharnaum post dies octo.

AVGVST. de Con. Euan. Mattheus autem hoc miraculum, quod sequitur ita scribit tanquam in ciuitate solui factum sit: Marcus autem hoc in Capharnaum, quod difficilius solueretur: si Mattheus etiam Nazareth nominaret. Nunc vero cum potuerit ipsa Galilea dici ciuitas Christi, quia in Galilea erat Nazareth, huius dubitauerit in ciuitate sua hoc fecisse Dominum, cum hoc fecerit in Capharnaum ciuitate Galilee, praefertim quia & ipsa Capharnaum ita excellat in Galilea, vt tanquam metropolis haberetur. Vel Mattheus praetermissit, quae gesta sunt postquam venit in ciuitatem suam donec veniret Capharnaum, & sic adiungit de sanato paralytico, subiungens: Et ecce offe. ei paralyticus postquam dixerat, quod venit in ciuitatem suam. CHRYSO. Vel Capharnaum ciuitatem eius dixit Mattheus, eo quod sapius illic ibat, ac multa ibidem miracula perpetrabat. Sequitur: Et auditus est, quod in domo esset, & conueniunt multi ita vt non caperet eos domus neque ad ianuam. Laborum enim accedendi desiderium audiendi superabat. Post hoc paralyticum introducit, de quo & Mattheus & Lucas dicunt. vnde sequitur: Et venerunt ferentes ad eum paralyticum quia quatuor portabatur. Inuenient resque multitudine ianuam obrutam, per eam non potuerunt aliquatenus introire. Sperantes autem portatores eum, qui portabatur curationis gratiam posse promereri, lectum cum onere subleuant, nudato tecto in ciuitatem cum lecto paralyticum ante faciem Saluatoris, & hoc est quod subditur: Et cum non possent offerre eum. Sequitur: Cum vidisset Iesus fidem illorum ait paralytico: Fili, dimittantur tibi peccata tua. Non quidem dixit fidem paralytici, sed portantium. Contingit enim aliquando, quod aliquis fide alterius conualescit. B E D A. Intuendum sane quanti propria cuiusque fides apud Deum valeat, vbi tanta valuit aliena, vt totus homo repente interius exteriusque sanatus exurgeret, aliorum merito alijs relaxarentur errata. THEOPH. Ipsi etiam paralytici fidem vidit. etenim ille portari non sineret, nisi curationis fidem haberet. B E D A. Curaturus autem hominem a paralyti Dominus primo peccatorum vincula dissoluit, vt ostenderet eum ob nexus culpae artum dissolutione fuisse damnatum, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari: Mira autem humilitas, despectum & debilem, totisque membrorum dissolutione compagibus filium vocat, quem Sacerdotes non dignarentur attingere, aut certe ideo filium, quia dimittantur ei peccata sua. Sequitur: Erant autem illic quidam de scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis. Quid hic loquitur? blasphemat. CYRILL. Arguunt autem eum blasphemiam mortis praecipitantes sententiam. erat enim in lege mandatum, quod quicumque blasphemaret in Deum morte puniretur. Hoc autem ei imponebant, quia sibi attribuebat diuinam potestatem remittendi peccata. vnde subditur: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Solus enim iudex omnium potestatem habet dimittendi peccata. B E D A. Qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem. & ideo Christus vere Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest. Errant itaque Iudaei, qui cum Christum & Deum esse, & peccatum dimittere posse credant: Iesum tamen Christum esse non credunt. Sed multo dementius errant Arriani, qui cum Iesum & Christum esse & peccata posse dimittere, Euangelij verbis deuicti negare non audeant, nihilominus Deum negare non timent. At ipse persi-

dos saluare desiderans, & occultorum cognitione & virtute operum Deum se esse manifestat. Nam sequitur: Quo statim cognito Iesus in Spiritu suo, quia sic cogitauerat intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris? in quo ostendit se Deum, qui potest cordis occulta cognoscere, & quodammodo tacens loquitur: Eadem maiestate & potentia qua cogitationes vestras intueor, possum & hominibus delicta dimittere. THEO. Sed quamuis fuerint eorum cogitationes reuelatae, tamen permanent insensibiles, non in hoc consentientes, quod peccata valeant dimittere, qui non uic eorum corda. vnde Dominus certificat de curatione animae per procuracionem corporis, demonstrans per visibile inuisibile, per id quod est facile difficultius, quamuis ipsi non ita crederent.

Pharisaei enim difficultius credebant sanare corpus tanquam manifestum, animam vero curare facilius, quia inuisibile est medela, ita vt talia cogitarent. Ecce corpus curare desinit, & inuisibilem curat animam. magis autem si ualuisse, corpus iam curasset, & non ad inuisibilem refugeret. Saluator igitur, ostendens quod vtique potest ait: Quid est facilius? quali dicit. Ego quidem per corpus medelam quae secundum veritatem factorum est, difficultior autem vobis videtur, ostendam vobis animae sanationem quae difficultior est. CHRYSO. Et quia dicere quam facere, facilius est, adhuc manifesta erat contradictio, quia opus nondum erat manifestum: vnde subdit: Vt autem sciatis quia potestatem habet filius quasi dicit. Quoniam de verbo diffiditis, operationem inducam quod erat inuisibile confirmantem. Significat autem dicit: In terra dimittendi peccata. vt ostenderet, quod humanae naturae potestatem dimittendi vniuit inuisibili vniione, quia etiam factus est homo: tamen Dei verbum permansit, et per dispensationem in terris cum hominibus conuersaretur: non tamen prohibebatur miracula perpetrare, ac remissionem tribuere peccatorum. non enim humanitas dimittit aliquid de proprietatibus diuinitatis, nec diuinitas impediuit Dei verbum incommutabilem, & veraciter in terris secundum carnem fieri filium hominis. THEOPH. Dicit autem: Tolle grabatum tuum, ad maiorem miraculi certitudinem: ostendens quod non est secundum fantasiam, simulque vt ostenderet, quod non solum curauit, sed & fortitudinem dedit, sic animas non solum a peccato conuertit, sed eis virtutem tribuit ad operandum mandata. B E D A. Fit igitur carnale signum vt probetur spirituale, quamquam eiusdem virtutis sit & corporis, & animae vitia dimittere. vnde sequitur: Et statim ille surrexit, & subleuato grabato abiit coram omnibus. CHRYSO. Prius autem id quod querere venerat, scilicet animam, remittendo peccata curauit, vt eum non credentes dubitauerunt, tunc opus adducit in medium, vt verbum opere confirmetur, & per manifestum occultum animae sanitas per medelam corporis ostendatur. B E D A. Datur etiam nobis intelligentia propter peccata plebsque euenire corporum debilitates, & iccirco forsitan prius dimittantur peccata, vt causis debilitatis ablatis, sanitas restitueretur. Quinque n. de caulis affliguntur homines molestis carnis, aut propter merita aegredia, vt Iob & martyres, aut propter humilitatem conseruandam, vt Paulus ab angelo Sathanae, aut ob peccata intelligenda & corrigenda, vt Maria soror Moysi, & hic paralyticus, aut ad gloriam Dei, sicut cecus natus & Lazarus, aut ad initium damnationis, sicut Herodes. Miranda est autem diuina potentia virtus, vbi nulla tps interueniente morula, iussu Saluatoris salus festina comitatur. vnde sequitur: Ita vt admirarentur. Relinquentes maius, si remissionem peccatorum, admirantur tantummodo quod apparet, corporis, sanitatem. THEO. Non est autem hic paralyticus qui a Ioanne curatus narratur, ille enim hominem non habebat, hic vero quatuor, ille in probatica piscina curatur, hic vero in domo. Est autem vnus, qui a Mattheo & Marco curatus narratur. Mylicae autem est, & nunc Christus in Capharnaum, in domo. scilicet solationis, in Ecclesia est domus paralytici. B E D A. Praedicare autem Domino in domo non capiuntur neque ad ianuam, quia praedicante in Iudaea Christo gentiles ad audiendum nondum intrare valuerunt, ad quos tunc est fors positos doctrinae suae verba praedicatores direxit. HIERON. Paralyticus autem typus est corporis quo

quo piger iacet in mollietate carnis habens desiderium salutis. THEO. Si ergo ego dissolutis potentis animae quasi paralyticus inuirtuosus habeat bonum, & attollar a quatuor Euangelistis, ad Christum adducar, audiamque tunc, Fili, & relinquuntur mihi peccata. filius enim Dei fit aliquis propter mandatorum operationem. B E D A:

Seu quia quatuor sunt virtutes quibus ad per merendam sospitate homo fiducia mentis erigitur, quas nonnulli prudentiam, fortitudinem, temperanciam & iustitiam nuncupant. Desiderant autem paralyticum Christo posse ferre, sed turba interposita ab omni parte intercluduntur, quia saepe anima post infirmi corporis desiderium super gratia remedio cupiens innotuit, praeseque consuetudinis obstaculo retardatur. Saepem inter ipsas orationis secreta dulcedi

nes, & quasi suauitate cum Domino colloquium turba cogitationum interueniens aciem mentis ne Christum videatur, impedit. Non itaque est in finibus vbi turbae tumulantur remanendum, sed tedium domus, scilicet scripturae sublimitas est appetenda, lexque Domini meditata. THEOPH. Sed quid ferat ad Christum, nisi tedium aperiat? Tedium enim est intellectus, qui supponitur omnibus his, quae in nobis sunt: hic multum habet terrae quantum ad lateres fictiles, terrenas dico, sed si haec subleuetur virtus, intellectus in nobis exoneratur. Post hoc submitatur, humilietur, non enim decet extollere de hoc, quod intellectus est exoneratus, sed magis humiliari. B E D A. Vel patefacto tecto eger submittitur, quia referatis scripturarum mysterijs ad notitiam Christi peruenitur, hoc est ad eius humilitatem fidei pietate descenditur. Quod autem cum grabato deponitur infirmus, significat ab homine adhuc in ista carne constituto Christum debere cognosci. De grabato autem surgere debet animam se a carnalibus desiderijs, vbi egra iacebat abstrahere. Grabatum tollere est ipsam quoque carnem per continentiae frenam reprimi spe caelestium praemiorum a delictijs segregare terrenis. Subleuato autem grabato domum ire, ad paradysum redire est. Vel sanus qui languerat, domum reportat grabatum, cum anima remissione accepta peccatorum cum ipso suo corpore ad internam sui custodiam se referat. THEOPH. Oportet etiam grabatum, i. corpus tollere ad operationem boni. tunc enim ad contemplationem pertingere valebimus, ita vt quae in nobis sunt cogitationes, dicat quae nunc sic vidimus, i. nunc sic intelleximus sicut nunc & paralytici curati, qui enim a peccatis mundatus est mundus videt.

b ¶ B E D A. Postquam Dominus in capharnaum docuit, egressus est ad mare, vt non solum ciuilem vitam hominum instrueret, verum et habitatoribus maris Euangelium regni praedicaret, eosque fluctuibus rerum labentium motus contemneret, ac fidei firmitate superare doceret. vnde dicitur: Et egressus rursus ad mare, oisque turba veniebat ad eum, & docebat eos. THEO. Vel post miraculum ad mare egressus, quasi solitarius volens esse, sed turba concurrere ite rum, vt additas quo quantum fugis gloriam, tunc ipsa te persequitur. Et siquidem tu ipsam persequeris, ipsa te fugiet. Inde autem transiens Dominus vocauit Mattheum. vnde sequitur: Et cum praeteriret, vidit leui Alphei sedentem ad Teloneum. CHRYSO. Idem autem est publicanus a tribus Euangelistis nominatus. Mattheus a Mattheo. Leui autem simpliciter a Luca: Leui autem Alphei a Marco. filius enim erat Alphei. Binomios autem secundum scripturam, & alios esse videre, sicut fuerat Moyse quique: Ietro, quique: Raguel vocat. B E D A. Sic & idem est Leui qui & Mattheus. Sed Lucas Marcusque, propter virecundiam & honorem Euangelistae nomen ponere nolunt vulgatum. Ipse autem Mattheus iuxta illud quod scriptum est: Iustus accusator est sui: Mattheum se & publicanum nominat, vt ostendat legentibus nullum debere conseruare de salute diffidere, cum ipse de publicano in Apostolum fit repente mutatus. Ad Teloneum autem, id est curam dispensationemque, vestigalium sedentem dicitur. Telos enim Graece Latine vestigalium nominatur. THEO. Sedebat enim in Teloneo, vt consuetudinis esset, aut aliquos impetret, aut verba vendens, aut aliquid huiusmodi faciens, quibus in suis mansionibus Telonearij videntur, qui de hoc statu sic subleuatus est, vt relinquens omnia Christum sequeretur. vnde sequitur: Et ait illi: Sequere me, & surgens secutus est eum. B E D A. Sequi autem imitari est: ideoque vt pauperem Christum non tam gressu quo

affectu imitari posset reliquit propria, qui rapere solebat aliena. Non solum autem lucra reliquit vestigalium, sed & periculum contempnit quod euenire poterat a principibus saeculi, quia vestigalium rationes imperfectas atque incompositas reliquit. Ipse enim Dominus, qui hunc exterius humana allocutione vt sequeretur

in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbabant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi, qui sequebantur eum, & Scribae & Pharisaei videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magister vester? Hoc audito Iesus, ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

c ¶ Et erant discipuli Ioannis & Pharisaeorum ieiunantes, & veniunt canis & peccatores simul discumbant cum Iesu & discipulis eius. B E D A. Publicani autem appellantur hi qui vestigalia publica exigunt, siue qui conductores sunt vestigalium sicut vel rerum publicarum, necnon & hi, qui saeculi huius lucra per negotia sectantur eodem vocabulo censentur. Viderant itaque publicanum a peccatis ad meliora conuersum locum inuenisse penitentiae, & ob id etiam non desperant salutem. neque vero in pristinis vitijs permanentes publicani veniunt ad Iesum, vt Pharisaei & Scribae, sed penitentiam agentes, vt sequens Euangelistae sermo designat dicens: Erant enim multi qui sequebantur eum. Ibat enim Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus praepararet cibos quod in mysteriorum figuris congruit. qui enim domicilio Christum recepit interno, maximis delectationibus exuberantiam pacis voluptatum. Itaque Dominus libenter ingreditur, & in eius qui crediderit recabit affectu. hoc est bonorum operum spirituale conuiuium quod diues populus eget, & pauper epulatur. THEOPH. Pharisaei autem hoc arguunt quasi puros se facientes. vnde sequitur: Et Pharisaei videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? B E D A. Si per Matthei electionem, & vocationem publicanorum fides exprimitur gentium, quae prius mundi lucris inhiabant, profecto supercilium Scribarum & Pharisaeorum Iudaeorum inuidiam insinuat, qui de gentium salute torquentur. Sequitur: Hoc audito Iesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Suggillat Scribas & Pharisaeos, qui iustos se putantes peccatorum consortia declinant. Seipsum medicum dicit, qui miro medicandi genere vulneratus est propter iniquitates nostras, & eius liuore sanati sumus. Sanos autem & iustos appellat eos, qui suam iustitiam nolentes statuere, iustitiae Dei sunt subiecti. Porro male habentes & peccatores vocat eos, qui suae fragilitatis conscientia deuicti, nec per legem se iustificari posse videntes, Christi gratia penitendo colla submitunt. vnde subditur: Non enim veni vocare iustos sed peccatores. Non quidem vt maneat peccatores, sed vt ad penitentiam conuertantur.

c ¶ G L O. Sicut superius apud discipulos Magister arguebatur de consortio peccatorum in conuiujs: ita nunc econuerso, apud magistrum discipuli incusantur de ieiuniorum omissione, vt sic inter eos materia discidij oriretur. vnde dicitur: Erant discipuli Ioannis & Pharisaeorum ieiunantes. THEO. Ioannis enim discipuli in imperfecto positi in consuetudinibus Iudaeis, permanebant. AV G. de Con. Euan. Potest autem putari, ideo addidisse Pharisaeos, quod simul cum discipulis Ioannis hoc quod sequitur Dominus dixerint, cum Mattheus hoc discipulos Ioannis tantum dixisse perhibeat. sed verba quae sequuntur magis indicant alios hoc dixisse de alijs. Sequitur enim: Et veniunt & dicunt illi: Quare discipuli Ioannis & Pharisaeorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Haec enim verba indicant coniuuas qui aderant venisse ad Iesum, & hoc idem discipulis dixisse, vt quod ait: Veniunt, non de ipsis dixerit de quibus interrogauerat: Erant discipuli Ioannis & Pharisaeorum. sed cum illi essent ieiunantes, veniunt illi quos hoc mouet. vnde Mattheus dicit: Et accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes: nisi quia & Apostoli aderant, & omnes certatim vt quisque poterat,

Callen. Aur. S. Tho. O 2 hac